

HOMILIA V.

Sacerrimi matrimonii inter D. Mariam, et Iosephum pulchrae figurae, variaeque encomia, quae illud longo sanctitatis intertallo reliqua omnia matrimonia superasse, apertissime indicant, in illa verba: Cum esset desponsata Mater Iesu Maria Ioseph.

Sacrosancti matrimonii inter b. Virginem, et Iosephum tropaei, ac figuras diligenter investigans, quatuor praecipuas divina eloquia nobis indicare praeparat: quarum primo loco refero eam illam foveris, super quam duo cherubim sedebant, et a quibus propitiatorum sustentabatur, et unde responsa dabatur, propitiusque dicebatur esse Deus; alterius autem illorum cherubin effigies erat masculi, alterius vero foeminae, ut Arias Montanus (in suo appar.) observavit. Cherubini isti inter se coniunctissimi, Mariam, et Iosephum matrimonii vinculo coniunctos significant, per quos Deus, qui aderat in arca sacrae humanitatis Christi Domini; sic enim illam vocat David (Psal. 131): *Exurge Domine in requiem tuam, tu, et arca sanctificationis tuae, misericordem, ac propitium se exhibet vocis, ac precibus nostris: et sicut a cherubinis illis arca tenebatur, sic a sacris his coniugibus lesus in infantia, eorum ulnis sustinebatur, et sustentabatur: et sicut illi a propitiatorio nunquam se avertebant, multo se respiciebant, sic Maria, et Ioseph non solum per peccatum aliquod actuale a Deo nunquam se avertebant, sed per multos annos Christum, qui est propitiatio nostra, concommittentes, multo amore se respexerunt, ut non immerito dicere potuissent b. Virgo, et Ioseph pariter: *Ego dicto meo, et ad me conversio eius.**

Adumbrat etiam eiusdem sacri matrimonii miram castitatem coniugium illud inter Sunamitem, et Davidem: nam sicut David non ad libidinum, nec ad prolis generationem accepit in uxorem Sunamitem, unde sacer textus ait: *Et vix non cognovit eam*: sic Ioseph, non ex concupiscentia, nec solum procreandae amoris, et desiderio ductus, cum beata Virgine nupsit, unde alter Evangelista eadem verba, quae de Davide dicta sunt, refert de Ioseph, dicens (Matth. 1): *Ioseph autem non cognovit eam*: et sicut illud matrimonium fuit inter Davidem, et Sunamitem, ut illa regem prae nimia frigiditate algentem iuvenili sui calore foveret, et atque calefaceret; sic Ioseph datus est in sponsam Mariae, ut Hieronymus (super 1. Matth.) adnotavit, ut eius bonum nomen, et famam foveret, non ut filios ex ea procrearet. Ac tandem olim hanc Deus condidit legem, quod si vir quispiam sine liberis obisset, defuncti fratris acciperet uxorem eius, ut suscitaret semen fratris sui; unde, ut divus Damascenus adnotavit, peritus, qui nascetur, licet secundum naturam filius esset naturalis secundi, erat tamen filius legalis primi, qui iam oberat, lege ipsa sic illud disponente, quemadmodum legit s. Ioseph, qui naturalis erat filius Iacob,

legalis vero Heli: cum ergo ipse sponsum esset, et vir Mariae Virginis, et propter votum perpetuae virginitalis ab eo emissum, ut d. Thomas (3. p. q. 28. ar. 3. ad 5. et ar. 4. ad 3) docuit, mortuus esset mundo absque liberis, ad eam modum, quo religiosi per votum solenne moriantur mundo, morte quadam civili, et legali, iuxta illud d. Pauli (ad Colos. 2): *Mortui estis cum Christo ab elementis huius mundi*: de qua morte intelligit d. Cyrillus (1. 16. de oral.) verba illa: *Pretiosa in conspectu Domini mors sanctorum eius*: valdeque liberae consentaneam eam expositionem iudico: nam verba immediate praecedentia erant illa: *Vota mea Domino reddam coram omni populo eius*. Cum ergo continuo subiungit (Ps. 125): *Pretiosa in conspectu Domini mors sanctorum eius*, non obscure indicat, se loqui de morte spirituali, et civili, quae votum inducit, quae in conspectu Dei pretiosissima est. Erat ergo noster Ioseph per votum perpetuae virginitalis mortuus mundo, pretiosaque hae sanctorum morte obierat absque liberis, ob quod sane meruit, ut Deus vicem fratris supplens, acciperet in sponsam Mariam, quae defuncti fratris uxorem, generaretque ex ea filium, cuius solus ipse Deus naturalis, Ioseph vero legalis pater esset, ut in his verbis ad hoc mysterium alludens eleganter dixit d. Augustinus: *Gaude Ioseph, quia per meritum virginitalis ita separatus es ab uxoris concubitu, ut pater dicaris Saluatoris*: atque ad hanc historiam respiciens Ieremias in persona Dei dixit (c. 23): *Eccce dies veniunt, et suscitabo David germen iustum*: sicut enim frater, qui uxorem defuncti ducit, semen fratris sui suscitabit, ita Deus fratris vicem supplens, mortuo sponso Virginis per votum virginitalis, absque prole, Deus suscitavit ex eius sponsa sobolem David, et ideo ait: *Suscitabo David, germen iustum*. Atque haec est prima huius sacri matrimonii excellentia, quod non homo, sed Deus, non Ioseph, sed Spiritus sanctus illud consummaverit, ut expresse testantur verba Matthaei (c. 1): *Inventa est in utero habens de Spiritu sancto*: neque obscure commendantur verba eiusdem Virginis dicentis (Ecl. 26): *Quasi palma exaltata sum in Cades*: alia enim versio legit: *Quasi palma maritata sum in Cades*. Arbor haec, quae omnibus priorior, ac inflexibilis est, constantiae, et victoriae symbolum semper extitit, haec singulari proprietate praedita esse noscitur, ut unanimi consensu rerum naturalium scriptores attestantur, ut quaedam illarum sit masculus, alia foemina; unde haec absque alterius praesentia nullum fructum fert, ad quem quidem producendum non opus habent se propriis radicibus, aut ramis contingere, sed sufficit sibi invicem praesentes esse. Hoc naturae portentosum miraculum adamussim nobis ob oculos ponit sacratissimum hoc coniugium Mariae, et Iosephi; uterque coniux palma est: illa enim ait: *Ego quasi palma exaltata sum*: Ioseph etiam, cum lesie evangelista esset iustus, palma etiam erat, Spiritu sancto dicente: *Iustus, ut palma florebit*. Et quidem, cum Maria, ut catholica Ecclesia canit, sine tactu pudoris invenit sit mater Saluatoris, recte per palmam adumbrat

tur, quia, sicut illa sine praesentia alterius palmae, absque tactu tamen eius, profert fructum suum, ita et Maria desponsata Ioseph, absque tactu eius, virtute Spiritus sancti, concepit, et peperit benedictum fructum ventris sui. Canat ergo Maria, et canora voce intonet: *Quasi palma maritata sum in Cades*: Cades enim sanctitas interpretatur, secundum Hieronymum (de nominibus hebraicis), quo non obscure indicatur, nihil in hoc sacrosancto matrimonio exultasse, quod sanctimoniam non redoleret, longeque ab illo fuisse omnem terreni affectus labem: sanctum enim idem est, quod sine terra.

Secundam eius excellentiam ex verbis d. Pauli (1. Cor. 7) in hunc modum deprehendo: ille enim ad Corinthios scribens, ait: *Foto autem vos sine sollicitudine esse*: exhortatur ibi eos ad continentiam servandam, ut hac ratione a sollicitudinibus, et curis huius saeculi liberiores essent: unde statim subiungit (ibid.): *Qui cum uxore est, sollicitus est, quae sunt mundi, quomodo placeat uxori, et dicitur est*: hoc discipulum olim intererat inter sacrificium, et holocaustum, quod illud dividebatur, partim enim pertinebat ad sacerdotem, partim ad Deum: ad holocaustum non dividebatur, sed totum combustum in honorem solius Dei cedebat. Status coelibatus, et virginitalis holocaustum quidem est: absque divisione sui, totus, ac integer Deo sacratur; status vero matrimonii sacrificium est, divisionem sustinens: maritus enim, partim incumbere debet filiorum educationi, partim attendere uxori, partim familiae, rerumque temporalium sollicitam curam gerere, ac proinde dicitur est, ut ait Paulus (ibid.). Hoc ergo mirum in modum commendat excellentiam sacri huius Iosephi coniugii, quod, dum Ioseph uxori placet, et eam diligit, dum sollicitam prolis illius curam gerit, dum familiae suae incumbit, ac victus illius curam gerit, non solum a Deo, nec minimam aliquam divisionem sustinet, sed strictiori vinculo magis illi coniungitur. Unde si d. Paulus expropter laudat mirifice continentis statum, quo nullum orationi, et confabulationi cum Deo impedimentum offert (1. Cor. 7): *Et quod facultatem praebet sine impedimento Dominum observandi*: eiusdem procul dubio laudis dignum est hoc Iosephi matrimonium, cum non solum orationi obstacula non apponat, sed calcaria potius addat. Nam, dum Ioseph cum uxore, et filio eius confabulatur, quid aliud quaeso praestaret, aut agit, quam orationi vacat? cum ille vero dicitur orare, qui debite cum Iesu, et Maria loquitur. Ex quo apertissime constat, consortium uxoris, quod aliis ad perfectionis cultum attingendum obesse solet, Iosephum ad perfectionis fastigium evexisse: nam, ut ait d. Bernardus (serm. de s. Ioseph): *Si nos miseri ex cohabitatione sanctorum virorum, qui respectu Virginis nihil sunt, saepe tamen proficimus, Virginem existimandum est, Iosephum cum sacra Virgine proficisse?* quod si d. Bernardus (serm. pr. de Assum.), virtutem loquelae Virginis exaltans, dixit: *Cuius salutationis vox, et ipsos exaltare facit in gaudio, quos materna adhuc viscera claudunt; quod si parvuli, necdum nati, anima*

liquefacta est, ut Maria locuta est, quid putamus, quatenus illa fuerit coelestium exultatio, cum et vocem audire, et videre faciem, et beata eius frui praesentia meruerunt? nec seon, non potuit anima Iosephi non plerumque devotio- ne liqueferi, dum cum Maria loquebatur; non potuit, non mirifice perfici, et illustrari, cum vocem eius audivit, faciem vidit, et beata eam non solum praesentia, sed et coniugali familiaritate, et amicitia frui meruit.

Hinc iam tertiam huius matrimonii excellentiam deducamus, quia, cum bona, quae durante matrimonio coniuges lucrantur, sint ultrinque communia; quae in iure bona matrimonialia dici solent; non potuit Ioseph ratione huius matrimonii dilissimum omnino non esse, cum in acquirendis bonis spiritualibus nulla unquam parva creatura feliciorum negotiationum nacta fuerit, quam beatissima Virgo eius coniux, Spiritu sancto dicente (Proverb. 31): *Mullae filiae congregaverunt diticias, iuxta supergressa es universas*: unde d. Bernardus (serm. de laud. Ioseph) dixit: *Cum omnia, quae sunt uxoris, sint viri, credo, quod beatissima Virgo totum thesaurum cordis sui, quem Ioseph recipere poterat, et liberalissima exhibebat*. Accedit ad haec: si amor, et amicitia communia reddidit bona, latino proverbio dicente: *Amicorum omnia communia*: cum b. Virgo inter parvas creaturas nullam maiore dilectione prosequeretur, quam sponsum suum; consequens est, nihil non ei communicasse eorum, quae quoquo modo communicare licebat. Fuisse autem Mariae amorem ardentissimum erga Ioseph, ex eo aperte constat, quod non ignorabit id, quod postea docuit Paulus (ad Ephes. 3), amorem inter coniuges debere esse instar amoris Christi erga Ecclesiam, et sicut Christus nihil charius habebat, quam Ecclesiam, ita nihil charius sit viro, quam uxorem, nec uxori, quam vir. Cum ergo Maria, utpote quae perfectissima omnium coniux fuit, hoc perfectissime observaverit, consequens est, plus quam martyres, confessores, virgines, patriarchas, prophetas, apostolos, ac coelestes angelorum hierarchias, Iosephum sponsum suum dilexisset, adeo ut non solum unitate vinculi conjugalibus, sed et ardentissimi amoris unione unum spiritus, unum cor, et una anima esset cum eo; sicut enim carnalis copula efficit, ut coniuges sint duo in carne una, ita et vinculum matrimonii, et mutus amor efficit, ut sint duo in spiritu uno.

Hinc velim, ut discant coniuges, multo se amore prosequi, quae enim est voluntas Dei, reciprocos coniugum amor. Unde inter alias rationes, ob quas voluit Deus educere Evam ex latere Adae, ea politissima fuit, ut Adam, tanquam partem sui ipsius, uxorem diligeret, nunquamque illam odio haberet: ut enim ait Apolosus (Ephes. 5.): *Nemo carnem suam odio habuit*: Eva autem caro erat de carne Adae, ipso id attestante, cum dixit (Gen. 2): *Hoc nunc os de ossibus meis, et caro de carne mea*. Praecipiebatur olim Deus, quod si conlingeret ob aes alienum, cum non esset solvendo maritus in carcerem detrusus, uxore eius vendendaretur; supponens sane, ardentem adeo debere esse amorem uxoris erga maritum, ut non dubitaret, propriae servitutis pretio eius libertatem re-

dimere. Eundem amorem supponunt irriscon-
sulti, dum toto titulo de donat. inter virum, et
uxorem, multas donationes inter ipsos prohibent,
eamque rationem adhibent, ne mutuo amo-
re se expolient. et Tiraquellus in legem septimam
conubialium refert ex Cicrone (*lib. 5. Tuscul. quaest.*), et ex Socino (*rerum memoria-
bilium c. 65.*), necnon ex Eliano (*de varia histo.
lib. 7.*) inter Indos adeo vigere amorem uxorum
erga maritos, ut si quis duas auxores habens
obiret, continuo illae iudicem adibant, varias
probationes adhibentes, quibus unaquaeque
monstrare contendebat, se ardentius, quam al-
teram, maritum dilexisse, et quae litem vin-
cebat, hoc sibi praemium lege statutum erat,
ut pariter cum marito sepeliretur: genus autem
sepulturae erat combustio. Ad hunc amorem
significandum consuevit apud omnes fere na-
tiones, virum uxori anulum porrigere, quod
licet multa, ac varia portendat, nam, si Plinio
credimus (*lib. 33. hist. natur.*) dicenti, annuli
usum originem ducere ex ferro quodam an-
nulo, quo quidam, velut compediibus, alligati
erat, exhibitio annuli clausuram observa-
dam ab uxore significat: quod si aliunde an-
nuli conditionem perpendamus, qui iustus, et
aequalis digito postulat esse, ne aliquin ab eo
facile decidat, id sane non obscure indicat,
matrimonium debere esse inter aequales; nam
si inter dispares, facile solvitur amoris vincu-
lum. Cum etiam annulis olim ad obsequandas
epistolas antiqui uterentur, ut referunt Blon-
das (*q. de Roma triumph.*), et Macrobius (*sept.
natural.*), probanque satis epistolae, quas res-
picio annulo consignatas scripsere Iezabel, et Aa-
man, ut sacra eloquia commemorant, et patet
etiam ex *l. ornamenta ff. de argento*, et *auro
legato*; certe ad hoc attendentes dixerunt, an-
nulum a marito uxori dari, ut fidelitatem ab
ea servandam commendaret: nam sigillum fi-
delitatis symbolum est, cum adhibeatur, ne res
falsitati subsit. Verum nostro proposito accom-
modatus, annuli exhibitio cordialem amorem
uxoris ad maritum aperte significat; maritus
enim ad id denotandum locat illum in eo di-
gito, ex quo venulae quaedam ad cordis me-
dullam decurrunt, ut nothomici tradunt, et ha-
betur cap. *foeminae* 30. q. 3. Sed quod super
omnia manifestus unitatem amoris inter uxores
mihi ob oculos proponit, illud sane est,
quod apud Iobum observavi: attente enim per-
lustrans, quare, cum Deus liberam facultatem
impertiret diabolo, ut Iobum, et omnia, quae
ad illum pertinerent, posset affligere, contem-
tere, ac penitus destruere, excepta tamen dum-
taxat vita ipsius Iobi, licet pecora interemisset
et filios occidisset, uxori tamen eius vitam non
ademit. Eam huius facti rationem arbitratus
sum, quod cum uxor, et maritus sint duo in
carne una, et velut vita una in corpore dupli-
ce, eo ipso, quod Deus excepit vitam Iobi, in-
tellegebatur etiam excepta vita uxoris: quod
satis perspicue ostendit, quam magna unitas
inter coniuges, quamque longe animorum di-
visio ab eis abesse debeat, ut non obscure et-
iam indicavit Christus Dominus; nam licet a-
liquin diceret (*Matth. 10.*): *Veni separare ho-*

minem aduersus patrem suum, et filiam aduer-

*sus matrem suam, et nurum aduersus sororum
suam*; minime tamen adiecit, se venisse ad
separandum uxorem a marito, inuenis in hoc,
amorem istorum inter se sibi placere, illum
vero saepe saepius odium sibi displicere. Hinc
est, d. Paulum non semel monuisse viros, ut
uxores suas diligant; praecipue tamen (*ad Col-
loss. 3.*) ait: *Viri, diligite uxores vestras, et no-*

luite esse amari ad illas: in quibus verbis non
solum postulat Apostolus, internum cordis a-
morem, dum ait: *Diligite uxores vestras*: sed,
ut externis operibus illum exhibeant, omnem
displacitiam, et amari iudicem uxoris devitan-
tes: *Nolite esse amari ad illas*. Doctrinam hanc,
tamquam naturali lumine notam, non ignora-
ntes veteres illi ethnici, ut referunt Plutarchus
(*lib. de praec. conub.*), et Eusebius (*lib. 3. de
praec. evang. cap. 1.*), non permittebant Lunoni,
quom nuptiarum Deam appellabat, animal
ullum absque ablato felle ei inmolari, ut
hoc symbolo significaret, amaritudinem inter
coniuges longe ab eis esse relegendam.

Quartam huius matrimonii excellentiam con-
templor in eo, quod ad ineffabilem incarnati-
onis mysterium celebrandum, unicum nostrae
reparationis remedium, mirum in modum de-
servierit: sicut enim singulae tres divinae Per-
sonae, praeter commune concursu sibi in-
divisum, speciali ratione incarnationis opus re-
spexerunt; Pater enim misit Filium, Filius as-
sumpsit naturam humanam, Spiritus sanctus
formavit eam in utero Virginis; non dissimil-
iter in hoc foecundo matrimonio adest sublimis
quaedam Trinitas: sic enim loquitur Cancellarius
parisiensis (*de nat. B. V.*): *Cuperem, ut mihi
verba suppellerent, ad explicandam tam
venerandam, admirandamque Trinitatem, Iesus,
Maria, et Ioseph*: Iesus Filius Dei incarnatur;
Maria Deum incarnatum concipit; Ioseph vero
eius sponsus illum celat, et usque ad praeci-
nitum tempus sacratissimum hoc arcanum te-
git. Quemadmodum enim olim ante sancta sanc-
torum, ut legitur (*Exod 26*), iussit Deus appon-
velum ex hyacintho, purpura, coccoque bis
tincto, et bysso retorta, opere plumarii, et pul-
chra varietate contexto, ita ante profundissi-
mum illud incarnationis mysterium, quod me-
rito *sanctum sanctorum* vocamus, sacrum hoc
matrimonium, quasi velum, ex omnium virtu-
tum varietate Spiritus sancti opere contextum,
voluit collocari: itaque haec Trinitas persona-
rum nostram redemptionem operata est: Iesus, ut
auctor salutis; Maria, ut mediatrix; Ioseph,
ut coadiutor; unde sicut cum bellum initur, vic-
toria non solum tribuitur militibus, qui cum
hostibus congressi sunt, sed etiam excubiis, et
exploratoribus, qui per abscondita itinera clam
milites, ac arma introduxerunt; ita licet redem-
ptio generis humani, et victoria communis ho-
stis illius, soli Christo, tamquam principali cau-
sae debeatur adscribi, qui solus in Calvariae
palestra cum hoste congressus est (*Isai. 63.*):
Torcular calcavi solus: Mariae etiam eatenus
debet attribui, quatenus contulit Christo car-
nem, et sanguinem, pretium nostrae redemptionis
ei subministrans; Ioseph etiam eius spon-
so suo modo partim debeat dari, quia fortissi-
mum ipsum ducem diaboli debellatorem, dum

infans erat et puer, abscondit, et clam educa-
vit, et nutritur, ut sic grandior effectus, de-
bito tempore fortem illum armatum, principem
feneretur, a suo loco deturbaret, et huma-
num genus a tyrannica eius servitute libera-
ret. Hinc licet Isais de mysterio incarnationis
loquens, dixerit (*Isai. 40.*): *Quis adiuvit Spi-*

ritum Domini? ausim dicere, Iosephum, celandum
Christum Dominum, nutriendo, et educand-
um, coadiutorem Dei extitisse in reparatione ge-
neris humani per mysterium incarnationis, ut
necnon nostrae salutis remedium, celebranda.
Est etiam in hac trinitate Iesus, Mariae, et Iose-
phi observandum, quod quemadmodum de
SS. Triade Ioannes ait (*in sua prima canon.
cap. 5.*): *Tres sunt, qui testimonium dant in coe-*

*lo, Pater, Verbum, et Spiritus sanctus, et hi tres
unum sunt*; ita tres in terra immensae Dei ho-
noralis testes sunt omni exceptione maiores, Iesus,
Maria, et Ioseph, qui vinculo charitatis un-
um etiam sunt, unum cor, et anima una; et
quemadmodum in illa coelesti Trinitate qua-
ta non agnoscitur persona eis consubstantialis,
ita nec in hac ulla admittitur eis aequalis.

His adungo quintam excellentiam huius sacri
conubii, quod nullum unquam extitit,
ex quo maiora obsequia Christo, et Virgini,
humano generi potiora beneficia profluxerint
quam ex isto: propter illud enim genealogi-
cae Christi, et Virginitatis series nobis innotescit;
propter illud beata Virgo gravida ab Hebraeorum
lapidatione liberatur; propter illud Iosephus sollicitam
curam gessit, ducendi Matrem, et Filium in Aegyptum,
ut Christus ab immatura, et crudeli impij Hierodis occisio-
ne eriperetur; propter illud fabrilis artis exerci-
tium, et Iosephi mirum vultus, sacra illa fami-
lia alebatur; propter illud diabolus fuit de-
ceptus, et illusus; propter illud virginitas Mariae
magis fuit confirmata, et stabilita; ac tandem
propter illud, et illustrissimum exemplum
imitandum castis coniugibus reliquit, ut coniuga-
lem vitam ducentes, angelicae castitatis splen-
dore fulgeant, ut his verbis testatus est Parisiensis
cancellarius (*serm. de natiuit. Mariae*): *Cur pura, perfectaque Ioseph pudicitia non praedictur, qui virgo Virginem adiit, atque ser-
uavit, quique primus ex masculis in coniugij
consortio coluit, et colit post se docuit sanctum, et
integrum caelibatum. Eorum coniugium, qui
Mariam, et Iosephum, quorum meliora charismata
aemulantes, in Christi Ecclesia imitati
sunt, non paucos ecclesiasticae historiae pro-*

fero Henricum imperatorem, eius nominis II. qui et claudus

quam rationem non solum a plebe, sed et a ipsa Virgine filius Ioseph vocabatur, ut non obscure indicant verba illa (Luc. 2): *Pater tuus, et ego, dolentes, quaerebamus te.* At deinde in eo matrimonio inveniri fidem, quia Maria, et Ioseph ad invicem illam involatam servarunt, perpetuam virginitatem observantes. Tandem addit, in hoc matrimonio inveniri sacramentum, quia nullum dicuntur: nam indivisio, et unitas vinculi connubialis, quo Maria, et Ioseph vere erant copulati, unionem Christi cum Ecclesia significabat, quod capropter merito Augustinus sacramentum vocavit, Apostolo dicente (Ephes. 5.): *Sacramentum hoc magnum est; ego autem dico in Christo, et Ecclesia.* Rupertus item (sup. cap. 1. Math.) egregie dixit: *Coniugium coeleste, non terrenum, unus spiritus, et una fides erat in eis, sola illi carnis corruptio deseruit, etc.* Congruit sane potiori iure huic matrimonio, quod de suorum parentum coniugio Nazianzenus (orat. 19) dixit: *Sic existimo, si quis ab ultimis terrarum finibus, atque ea universo hominum genere, praestantissimum coniugium conciliare studuisset, nullum unquam hoc praestantius, optiusque reperiri potuisset; quae ille: quos demum addo tria illa verba, quae in officio sancti Iosephi iuxta pristinum Carmelitarum Breviarium in antiphona ad Magnificat habentur: Felix matrimonium, fide sacrum, nec prole vacuum, sed flore retento vice Pater, Virgo parens cum honore virginitatis, pura sibi coniugali mutuo subservient, et dulcem nutrimentum pari voto Filium, quorum ministerio latens in mysterio deceptionis inimicum, verum deus, et antiquum perfecti consilium: consilium, inquam, sanctissimae Trinitatis, cui sit honor, et gloria in saecula saeculorum. Amen.*

HOMILIA VI.

Commemorantur variae causae ex priscorum Patrum doctrina, et aliis a nobis excogitatis, ob quas decessit b. Virgineum matrimonium contrahere, et Iosepho in coniugem dari.

Propositum argumentum, ut solita nostra perspicuitate, cui valde semper consulinus, edisseramus, placuit omnes causas, ob quas beatam Virgineum in matrimonio dari oportuit, ad quatuor praecipue capita revocare: quaedam enim tenent se ex parte Virginitatis, quaedam ex parte nostra, nonnullae etiam ex parte communis hostis generis humani. Divus Ambrosius (init. lib. 2. in Lucam) hanc reddidit ex parte Virginitatis causam, ut honori eius consuleretur: si enim cum nupta filium haberet, certe Hebraei Virgineum stupratam esse non iudicarent; verba Ambrosii haec sunt: *Desponsata fuit Virgo, ne temeratae virginitatis adureretur infamia, cuius gravis alevus corruptelae videretur insigne praeferre. Sciebat Dominus teneram esse Virginitatem, et lubricam famam pudoris: servatur itaque sanctae Mariae, sicut pudore integra, ita involatibilibus opinione virginitas, oportet enim sanctos ex aliis bonum testimonium habere, qui*

*foris sunt. Nec decessit sinistra virginitatis opinio eicentibus velamen excusationis relinquit, quod infamata Mater quoque Domini videretur: haec Ambrosius: qui (eod. lib.) inquit: Maluit Dominus aliquos de suo ortu, quam de Matris pudore dubitare: sciebat enim teneram esse Virginitatem verecundiam, et lubricam famam pudoris: nec potuit ortus sui fidem Matris iniuriis destruendam. Ferunt historiographi, quod cum Alexander magnus ad matrem suam Olympiam scribens in epistolae subscriptione haec verba apposuisset: Alexander, dei Iovis filius, illa cum increpavit, quod, ut se filium Iovis praedicaret, matrem suam adulteram faceret, gravique infamiae nota illam afficeret. Longe sane aliud fuit ingenium Christi Domini quam Alexandri, cum ille, ut se honestaret, matrem suam deonestabat; Christus vero, ne Virginitatis matris suae honor minima denigraretur infamia, maluit filium cuiusdam fabri reputari, quam bonam Virginitatis famam quidquam nocentem recipere. D. Hieronymus (sup. cap. 1. Math.) aliam ex parte Virginitatis scripsit rationem: Ne tamquam adultera a Iudeis lapidaretur: eandem tradidit Eusebius Emyssenus (hom. in vigili. nativ. Dom.) his verbis: Si circum non habuisset, et gravidam videretur, nulla ei excusatio subvenire posset, ut quasi adultera non lapidaretur: quis enim ei crederet, sine viro concepsisse? quis enim ei crederet, de Spiritu sancto eius utrum intumesceret? erat enim hoc inusitatum, et sine exemplo. Melius ergo fuit, quod Virgo ad tempus non virgo putaretur, quam quod accusata lapidaretur: non enim violatur virginitas falsa opinione; cecidit autem innocens perneque falsa accusatione. Poterat enim Dominus, et alter Matrem suam non solum ab iniusta dominatione, verum et a falsa opinione defendere, si vellet, qui semper in potestate habuit facere quicquid vellet: cur autem hoc magis voluerit, ipse scit; cum ergo sic ei placuit, placeat igitur et nobis. Illud tamen d. Hieronymi rationem impugnare videbatur, quod si Virgo desponsata non esset, non posset de adulterio condemnari: quomodo ergo verum est, quod si desponsata non esset, tamquam adultera lapidaretur? Sed huic objectioni cum Angelico Doctore (3. p. q. 29. art. 1. ad 4) respondeo, quod iudicio adulterarum lapidabatur secundum legem non solum illa, quae iam erat desponsata, vel nupta, sed etiam illa, quae in domo patris custodiebatur ut virgo, nuptura quandoque: unde dicitur (Deuter. 22): *Si non est in puella inventa virginitas, lapidibus obruant eam viri civitatis illius, et morietur, quia fecit nefas in Israel, et fornicaretur in domo patris sui.* Vel potest dici secundum quosdam, quod b. Virgo erat de stirpe Aaron, unde erat cognata Elisabeth, ut dicitur Lucae 1. Virgo autem de genere sacerdotali propter stuprum occidebatur: legitur enim Levit. 21: *Sacerdotis filia si deprehensa fuerit in stupro, et violata sit nomen patris sui, flammis exuretur: quidam referunt verbum Hieronymi ad lapidationem infamiae. D. Bernardus aliam ingenio, et pietate eius dignam rationem adhibuit, ut scilicet Ioseph testis esset virginitatis Mariae: non enim in asserenda castitate tam dignus esse poterat fide, quam**

qui custos illius erat, et maritus, qui maxime et scire debuit, et potuit, quemque credibilis erat, naturaliter maritorum zelotypia, impudicitiae erimen, ubi non esset suspicaturum, quam ubi esset defensurum fuisse: ut enim dixit d. Ambrosius (lib. 2. in Luc. cap. 1): *Locupletior testis pudoris Mariae adhibetur, qui posset, et delere inuicem, et vindicare approbrium, si non agnosceret sacramentum.* Sed nec egregie d. Bernardus verba ad idem silentio praefere re possum: *Dicam quod mihi, immo, quod ante me, Patribus visum fuit. Illa utique fuit ratio desponsationis Mariae, quae et dubitationis Thomae: sicut enim Thomas dubitando, et palpando constantissimus factus est dominicae confessor resurrectionis; ita, et Ioseph Mariam sibi desponsando, eiusque conversationem tempore custodiae studiosius comprobando, factus est pudicitiae fidelissimus testis. Pulchra utriusque rei convenientia Thomae dubitatio, et desponsatio Mariae: poterat quidem similes erroris laqueum nobis incidere, fidei idelicet in illo, castitatis in illa, veritatem in suspicionem adducere; sed valde praudent, et pie factum est, per contrarium, ut unde metuebatur suspicio, firma sit certitudo: nam, et de filii resurrectione, citius quidem ego, qui infirmus sum, crediderim Thomae dubitanti, et palpanti, quam Coephae audienti, et credenti; et de Matris continentia facilius sponso eius custodienti, et experienti, quam ipsi quoque Virgine de sola sua conscientia se defendenti.*

Deinde ex parte Christi simul et Matris ea notissima occurrit ratio, ut Ioseph utriusque esset adiumento, atque custodia, et sacrae illius familiae in temporalibus administrator; unde ad ipsum, tamquam caput; vir enim caput est mulieris, ut ait Apostolus, et non ad Mariam Deus mandata sua misit: *Eccc angelus Domini apparuit in somnis Ioseph, dicens: Accipe puerum, et matrem eius, et fuge in Aegyptum: deinde, cum reversus esset ex Aegypto: Eccc angelus Domini apparuit in somnis Ioseph, dicens: Surge, et accipe puerum, et matrem eius, et vade in terram Israel. Ut tamen hanc rationem illustremus, in memoriam oportebit revocare verba illa Isaiae (e. 11): *Egredietur virga de radice eius, et flos de radice eius ascendet: sane virga illa, virgo Maria est, ut (in Conn. ill. loc.) observavit D. Hieronymus, ex qua instar floris Christus ascendit, qui de seipso dixit (Cant. 2): *Ego flos campi, et lilium convallium: sicut autem nunquam flos ascendit et virga foliis nuda, prius enim virga foliis adumbratur, et honestatur, quam flos ascendat; ita Maria prius viri umbra, et ornamento decorari debuit, quam Christus in ea nasceretur; ut sic et Virgini solamiois umbram, et fructui illius instar folii a persecutionis grandine protectionem suam exhiberet.***

Est etiam alia omnium notissima ratio, cuius meminit Angelicus Doctore (3. p. q. 29. art. 1) ex parte Christi, ne, si mater eius in nupta fuisset, ipse tamquam spiritus, et illegitimus reputaretur: ex quo aliud poterat pullulare manifestum incommodum, ut Messias esse minime crederetur. Si enim leviora quaedam ei obiciebant ad id negandum, quanto magis hoc ei opposuissent, cum certum esset, Messiam

non ex illicito concubitu fore nascenturum? unde d. Ambrosius (lib. 2. in Luc.) dixit: *Quid Iudeis, quid Herodi possent ascribi, si matrum viderentur ex adulterio persequuti? desponsata ergo fuit Virgo non solum, ut Matris famae, sed et Filii honori pariter consuleretur.*

Hic addo aliam rationem ex parte Christi, ut matrimonium, quod tamquam unum ex septem sacramentis Ecclesiae Christus instituerat, ipse honoraret; id, quod praestitit, efficiens, ne careret optimo, atque excellentissimo omnium fructu, qualis erat ipse Iesus, mundi vita. Licet enim conceptus non fuerit ex usu matrimonii, sed ex virtute Spiritus sancti, tamen quia ex Virgine coniugata Iosepho natus est, certe inter fructus illius castissimi coniugii merito computatur, ex quo matrimonium summum honorem suscepit; unde d. Ambrosius (in Lucam) dixit: *Mariam simul fuisse virginem, et nuptam, ut in eius persona virginitas simul, et matrimonium honoraretur.*

Ex parte nostra multiplex occurrit ratio. Prima, ne per virginitatis electionem nuptias damnata, aut despiciere videretur; et, ut tolleretur excusatio virginitatis, quae propter suam incuteam non vident infamiam. Secunda, ut non solum virgines, et viduae, sed et nuptae haberent Deiparam Mariam tamquam speculum, et magistrum recte, et sancte vivendi, ab eaque discerent, quomodo se genere obediret erga viros suos, tam fideliter, quam obedientiam, et aliis similibus: tum, ut per virum ordo genealogiae Virginitatis texeretur; unde d. Ambrosius (sup. Luc.) ait: *Qui in saeculum veni, saeculi debuit more describi: viri autem persona quaeritur, quae in senatu, et reliquis curiis civitatum generis asserat dignitatem. Consuetudo etiam non instruit Scripturam, quae semper viri originem quaerit. Tertia ratio similiter ex Chrysostomo (super Ioan. 3), quoniam fideles sanus filii Ecclesiae, quae quidem sponsa est Christi, secundum illud testimonium quod dedit Ioannes de illo dicens (Ioan. 3): *Qui habet sponsum, sponsus est: et (Ite. 2): Sponsus te mihi in fidei: et (Apoc. 19): Date gloriam Deo, quia venerunt nuptiae Agni, et uxor eius preparavit se, eadem, quae hic dicitur uxor, appellatur sponsa: igitur, ut filii adoptivi, qui sumus nos, aliquid amplius, vel melius in nostra regeneratione, aut nativitate haberemus, quam filius naturalis, si nos ex sponsa nasceremur, et ille non; ideo etiam, ut per omnia similes fratris esset, ex matre desponsata nasci voluit, ad eius similitudinem nostra etiam deberet esse nativitas. Hinc d. Petrus Chrysologus (sem. 146) non solum ait Virgineum ligurare sponsum Christi Ecclesiam, sed et Iosephum adumbrare eius sponsum Christum, ex quibus tamquam ex patre, et matre nascitur, et educatur omnes fideles: aurea verba illius sunt haec: *Non apices, non literas, non syllabas, non verbum, non nomen, non personae in evangelio dicitis vacua sunt figuris: sponsa quaeritur, ut iam tunc Ecclesia Christi sponsa signetur, iuxta illud Osee prophetae (cap. 2): Sponsus te mihi iustitia, iudicio, misericordia, et miserationibus, et desponsato te mihi in fide: hinc Ioannes ait: Qui habet sponsum, sponsus est,***

et vere sponsa, quae virginali partu novam Christi regniq. infantiam; procuratur Ioseph sponsus, ut iste in illo Ioseph Christi figuram implet passionis. Ioseph prophetalibus somnis incurrit zelum, Christus prophetibus visionibus suscepit invidiam; Ioseph missus in lacum mortis vivus emergit e lacu, Christus mortis sepulchro datus, vivus resurgit a sepulchro, Ioseph venundatus est, pretio tazatus est Christus; Ioseph traditur ad Aegyptum; ad Aegyptum fugatur Christus; Ioseph esurientibus populis panem copiose subministrat, Christus coeli pane manentem orbe toto saturat nationes: sic lucet, cur Ioseph iste coelestis sponsi typum praestulerit, portaverit imaginem, ambulaverit in figuram. Denique ultimam subiungo rationem, ut doceret nos, non posse Christum nasci in anima orbata viro. Vir, et sponsus animae Christi est, secundum illud Pauli (8. Cor. 11): *Despondi vos uni viro virginem castam exhibere Christo*. Vir autem dicitur a *vireore*: Christus autem est, qui virorem, ac vigorem nostris animabus per suam gratiam confert: igitur anima, quae hoc viro orbata fuerit, nec concipere optimos bonorum operum foetus poterit, ipso dicente (Joan. 15): *Sine me nihil potestis facere*. Mollis, et effoeminata est anima, quae non habet hunc virum, nempe Christum in se, carnisque fragilitati potius obnoxia, quam Deo: id autem volebat Pharaon, ut viri interirent, foeminae viverent, sic daemon hunc virum vult perire, et suffocari in nostris animabus, qui, et spiritui robur conferebat, et animae tenebat imperium, ut carni fragili usurpante sceptrum, fragilia omnia, et debilia opera nostra, ac nullus roboris sint; et adimpleatur in nobis maledictio illa contra Aegyptum (Isai 3): *Mulieres dominatae sunt eis, id est, effoeminatae operationes*.

Ex parte tandem daemonis, infestissimi hostis generis humani, hanc tradidit rationem sanctissimus ille martye Ignatius (in *epist. ad Eph.*): *Ut scilicet partus Virginis diabolo celaretur*: videns enim ex muliere coniugata nasci Christum, non exploravit, an integra, nec violata mansisset; unde sicut occultavit olim Dominus unitionem David, ne Sauli innotesceret, cum enim praecepisset Samueli, ut implet cornu oleo, et in Bethlehem pergeret ad ungendum David, ipseque respondisset: *Quomodo vadam? audit enim Saul, et interficiet me*; Dominus ei dixit: *Vitulum de armento totum in manu tua, et dices: Ad immolandum Domino veni*; ut hoc, velut tegumento, occulta esset unio Davidis in regem: non secus cum misit Dominus Christum suum in utero Virginis, tibi sacra eius humanitas uncta fuit oleo laetitiae prae consortibus suis, ut diabolo eius partus, et conceptus celaretur, voluit illam nuptam esse cum Ioseph; sic enim videns diabolus eam cum viro simul cohabitare, Dei sacramentum non intelligebat: nulla enim tunc suspicio oriri poterat, quod matrimonio coniuncta Virgo conciperet; et licet explorare potuisset claustra pudoris involtata permansisse, non tamen ad id attendit, cum in foemina nupta superfluum appareret id perstrare; unde ex eius inadvertentia, Deo sic providen-

te, hoc ab eius notitia fugit mysterium. Fuisse autem hoc modo delusum daemone non obscure docuit d. Bernardus (homil. 2. super *Missus*), dum ait, quod sicut diabolus foemina prius decepti, et per illam virum; sic oportuit eundem hostem a Virgine occulte decipi, et illudi, et postea a Christo virorum fortissimum palam debellari, ul hac arte multiformis proditoris artem falleret. Sed nihilominus hanc martyris Ignatii rationem, quam tota Patrum antiquitas probavit, eam enim amplexi sunt Basilus (hom. de *Christi gener.*), Hieronymus (super *Matth.* 1), Damascenus (l. 4. de *fid. c. 15*), Bernardus (hom. 3. super *Missus*, et hom. 4. in *vigil. Nat.*), Origenes (hom. 6. in *Luc.*), Rupertus (de *vict. verb. lib. 11. c. 19*), Theophylactus (super *Matth.* 1), refulgent Scotus, Abulensis, et Maldonatus (in 1. c. *Matth.*), ea adducti ratione, quia licet Virgo nupta esset, cum integrum ei maneret involtatum claustrum virginitalis, facile a daemone id cognosci posset, cum id intra sphaeram naturalis sui luminis contineretur: nec refert, inquit, dicere, divinitus impeditum fuisse daemone, ne id agnosceret; nam etiamsi innumpta non esset, impediti etiam eodem modo potuisset. Minime tamen haec infirmant rationem martyris Ignatii, tot SS. Patrum auctoritate stabilitam: quavis enim ad occultandam illud mysterium diabolo non fuisse simpliciter necessarium matrimonium, fuit tamen medium valde conveniens. Primo, ut daemone facilius anteverteretur, ut nuper dicebam, a curiosa scrutatione conceptionis, et partus virginis; unde Chrysostomus, Theophylactus, et Euthymius (super *cap. 1. Matth.*), et Damascenus (lib. 4. de *fid.*) aiunt, daemone, cum ex propheta illa Isaias, *Ecce virgo concipiet*, non ignoraret Christum ex Virgine nasciturum, sollicite observasse omnes virgines; et cum virginem desponsatam videret, ab illa cavere destitisse, nec quidquam curasse, violata, an involtata esset, perlustrare: ex quo d. Ambrosius (sup. *Luc.*) ait: *Non mediocris quoque causa est, ut virginitas Mariae falteret principem mundi, qui cum desponsatam cerneret viro, partum non potuit habere suspectum: fallendi enim mundi principem fuisse consilium, ipsius Domini verba declarant, cum Apostoli iubentur tacere de Christo*. Secundo, quia si intelligeret, non esse ex matrimonio gravidam, non posset sibi persuadere fuisse ex turpi conebitu, tum ob angelicam puritatem, quam videbat in Virgine; tum quia sciebat, ipsum non fuisse auctorem illius delicti; non fit autem communiter fornicatio, nisi ipso sciente, et, ut plurimum, suggerente. Quod si cuipiam videatur, frustra daemoni id occultari, cum alia manifestissima ei signa fuerint, per quae agnoscere poterat Christum esse Messiam; vidit enim evidentissima miracula, quae Christus fecit in attestationem, quod erat Filius Dei; audivit etiam vocem Patris de coelo delapsam (*Matth.* 17): *hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui*; non recte quidem iudicabit: quia quidquid sit, an testimonia, quae clare ostendebant, Christum esse Messiam, fuerint daemone cognita, vel occulta, de quo theologi (in 3. *Sentent.*); certe post adultam aetatem non

reata ita necessarium, Christi mysteria daemoni occultari, quia iam accesserat tempus cum illo apertius congrederi; quod tamen in infantia non sic oportebat, divina providentia, et sapientia id se disponente, ne scilicet acrius Christum persequeretur, ut adnotavit Angelicus Doctor (3. p. q. 29. *art. 1*): unde Rupertus (lib. 11. de *vict. Verbi*) ingeniose dixit: *Desponsatio Virginis diabolum fessit, et cunctos satellites eius, ut nescirent sacramentum, cuius sciendi modum non erat tempus*: et Origenes (sup. *Matth.*) ait: *Quae fuit causa, ut esset desponsata Maria Iosepho? nisi quatenus hoc sacramentum diabolo celaretur, et ille malignus fraudis commenta adversus desponsatam nulla penitus inveniret?*

HOMILIA VII.

Matrimonium felicissimum inter Mariam, et Iosephum varia eruditione, ac verberata conceptum copia prosequimur; quantaque dignitas sit, Iosephum sponsum fuisse Virginis, ex similitudine, quam opus fuit habere cum illa, elucidamus.

Inter alia pleraque, quae apprime desiderantur in matrimonio, ut felix, faustumque sit, illud perscpe tam apud sacra, quam prophana eloquia lego, ut inter coniuges, quoad fieri possit, aequalitas sit generis, divitiarum, bonae indolis, et reliquorum honorum, tam naturae, quam eorum, quae fortunae vulgus vocat. Ovidius (in *epist. Deianirae ad Heren.*) id probe agnoscens, perlepidè cecinit:

Quam male inaequales veniunt ad aratra iuveni,
Tam premitur magno coniuge nupta minor:

et alibi:

Si qua voles apte nubere, nube pari.

Hinc eloquentiae parens, cuius sententiam refert Iurisconsultus, in 1. *Cicero*, ff. de *poenis*, dixit: *Iam hoc fere scitis omnes, quantum vim habeat ad coniungendas amicitias, studiorum, ac naturae similitudo*: hinc Plutarchus (*problem.* 183), prohibuit fuisse testatur apud Romanos, quempiam in mense Maio nubere, quia Maius a maioribus dictus est; nuptias autem dicebant, non cum maioribus, sed cum aequalibus celebrandas esse. Unde Cornelius Tacitus (de *mor. German.*), et Pierius Valerianus (lib. 3. *Hieroglyph.*), tradunt hunc morem apud Germanos viguisse, ut, cum uxores ad domum virorum ducerentur, duos boves sub eodem iugo unitos eis offerbant, ut hoc symbolo significarent aequalitatem, et concordiam maxime necessariam esse inter coniuges. Romanis etiam haec erant consuetudo, ut inter caeremonias, quibus in nuptiis utebantur, vir ad uxorem diceret: *Ubi ego Caius, Tu Caia*: quibus verbis indicare volebant, inaequalitatem, ac disparitatem longe

ab eis fore relegandam; et merito quidem: nam, ut recte dixit Anaxagoras, id referente Stobaeo (de *philosoph. Anaxag.*): *Si quis pauper pecuniosam uxorem duxerit, non uxorem, sed heram habet, cuius est famulus*. Unde Lycurgus, ut tradit Plutarchus (in *su. apophlegm.*), prohibuit, uxores dote in matrimonio adducere, ne ob nimiam pecuniam in viros suos superbiat; quibus satis consentiant verba d. Ambrosii (lib. de *Abrah. Patr. c. 2*), dum ait: *Offendit virum, si se uxore nobilitate nocerit*. Plerumque etiam accidit, deficiente hac inter coniuges aequalitate, illud Iuvenalis (*Satyra 6*):

Semper habet lites, alternaque iurgia lectas;

et illud Horatii (lib. 2. *Sat. 1*)

Olerunt hylarem tristes, tristemque iocosi,
Sedatum celes, agitem, gnavumque remissi.

Quibus omnibus consona sunt, quae Galenus docuit (lib. de *in. tempor.*), dum ait: *Simile similitudinem conveniens est, atque amicum; contrarium vero, inimicum, atque molestum*: et concludit: *ideo sanitatis custodia fit per similitudinem*. Licet enim verissimum sit medicorum aphorismus: *Contraria contrariis curantur*; conservatio tamen salutis, non rebus contrariis, sed similibus fovetur, ut egregie adnotavit Avicenna (4. 1. c. 1) dicens: *Agritudo suo medicatur contrario; et conservatur sanitas suo simili*; quod et in plantis suo modo locum habere tradidit Columella, docens id, quod experientia ipsa satis comprobavit, unam arborem non posse inseri in aliam, nisi inter utramque aliqua reperitur similitudo, et similitudo. Sed quid in prophana monumentis referendis moror, cum propositam veritatem sacra eloquia non semel nos doceant? nam in primo illo matrimonio, divino ministerio celebrato, quo Eva data fuit in uxorem Adae, aequalitatem, ac mutuum similitudinem observatam fuisse cernimus, Deo ipso dicente (Gen. 2): *Faciemus ei adiutorium simile sibi*, quo satis aperte docemur nubendi aequalitatem, vel similitudinem, quoad fieri commode possit, in matrimonio quaerendam esse: quod et ingeniosa illa fabula auctoritate Spiritus sancti comprobata, cuius mentio fit (lib. 4. *Regum 14*), ingenioso quodam symbolo mirifice edocuit, dum ait, quod cum cardus montis Ibianni mitteret ad cedrum nuncium, ut daret filiam suam in uxorem filio suo, factam est, ut in poenam huius superbiae, ac practerae aequalitatis, ab animalibus illac transeuntibus acriter conculeretur: *Transierantque bestiae saltus, quae sunt in Lybano, et conculeverunt cardium*. Huius fabulae aliam Aesopi non inductam, ne d. Petri (2. *Pet. 1*) consilium respuere videar dicentes: *Non doctas fabulas sequuti*, hoc loco adnectere non designabor. Finxit ille carbonarium regum fulionem, ut simul in eadem domo secus cohabitare vellet; eius tamen precibus fulio minime acquiescens, respondit: *Timo, ne quo ego deallo, tu fuligine repleas*: quae sane responsio aperte satis indicat, quantum detrimenti dissimilitudo se-

cum afferat. Cum igitur sacerrimum hoc matrimonium inter Mariam, et Iosephum altissimo Dei consilio initum fuerit, nemo sane mentis ambiget, praecipuam aequalitatis coniugum conditionem minime in eo desiderari; aequalitatis, inquam, non mathematicae, sed moralis, et cum quadam proportione: ad eam certe modum, quo in cythara reperitur, cuius altera fidium, quae prima vulgo dicitur, acutiorem habet sonum, secunda vero, vel tertia depressiorem, et multo minus acutum, cum tali tamen proportione, ut ex utroque concentus resultat suavissimus; non dissimiliter, licet b. Virgo prima sit in sanctitate, ut Matrem Dei decebat, Ioseph quidem ea polluit, quae talem eum redderet, qualem esse oportebat, qui in sponsam ipsam Dei Genitricem esset habiturus: nec enim fas est cogitare, ut qui Adae, ut nuper dicebamus, adiutorium dedit simile sibi, b. Virgini illud negaverit. Unde s. noster Bernardinus (tom. 3. ser. de s. Ioseph) dixit: *Quomodo cogitare potest mens discreta, quod Spiritus sanctus tanta unione, coniugii scilicet, nisi et virtutum operatione simillimum? Unde credo Ioseph fuisse mundissimum in virginitate, profundissimum in humilitate, ardentissimum in charitate, altissimum in contemplatione, ut esset adiutorium simile Virgini.* Haec similitudinem affert in hunc modum explicare placet. Solent coniuges in mutui amoris argumentum vestes eiusdem coloris induere, ita ut, si foemina viridi ornatur veste, si crocea, aut purpurea, vir etiam eodem vestimenti colore incedat; illud tamen inter utrumque coniugem interesse consuevit, quod foeminae multo pretiosiora donantur ornamenta, quam viro; sericeae enim illius vestes plerumque intextuntur auro, manus pretiosius ornantur anulis, et collum aenea torque, fulgentibus gemmis distincta, quae tamen minime viri gestare consueverunt: ad eundem modum opinor Deum optimum maxum, postquam exornaverat b. Virginem inaequabilibus omnium virtutum ornamentis, nullisque decoraverat coelestium charismatum margaritis, qualia nulli unquam concessit, eiusdem tamen coloris vestibus voluit Iosephum dilectissimum eius sponsum indui, ut debita inter coniuges similitudo, ac morum sympathia minime in his sacris sponsis desideraretur. Quare si rem altius contemplerur, ambo fuerunt ab aeterno prae omnibus sanctis ad duplicem celsissimum omnium dignitatem electi; illa in matrem Christi naturalem, hic in eiusdem patrem legalem: ambo in ultero matris sanctificati, ut magnus ille Cancellarius parisiensis (ser. de nat. Virg. et infra in sua Iosephina) testatur; ambo nomine coelestis delapsio insigniti; ambo variis figuris adumbrati; ambo in ministerium Verbi incarnati assumpti: Maria, ut carnis substantiam daret, Ioseph, ut eandem aleret, et nutriret; ambo primi, qui volu virginitatis emerisunt, et in matrimonio caelibatum coluerunt; ambo, qui in terris Verbum humana carne iudolum videntes, coelestis mannae dulcedinem primi degustarunt; ambo, qui angelici concentus, natale Christi celebrantis, et pastorem ac regnum felicis adventus testes omni ex-

ceptione maiores faere; ambo media nocte sole orientem aspexerunt, quod mirabilibus sane fuit, quam stellas in meridie prospicere; ambo Christi parentes nuncupati, beatissima Virgine id testante: *Pater tuus, et ego, dolentes, quaerebamus te;* ambo ab omni lethali peccati labe longe alieni, ut tradit d. Augustinus; ambo propter infantem Christum ab herodiana saevitia custodiendum, varios labores exilii, et paupertatis perpassi; ambo Christi nutritii, virgo lacte ex ubere de coelo pleno, Ioseph labore manuum suarum, et sudore vultus sui; ambo in Christi infantia, pueritia, et iuventute, individui eius comites, domestici, ac dilectissimi familiares; ambo milites Christum amplectati, et totidem excoluti; ambo suae mortis divina revelatione praescii; ambo anima, et corpore gloriosi cum Christo conregnant.

Verum, ut mira, quae interessit inter hos sacros sponsum, Mariam, et Iosephum, similitudo clarius innotescat, ea, in quibus illa splendidissimis fulgoribus enituit, latius, ac fusiusedisseramus. In primis quidem, sicut sacri evangelistae pauca de Virgine earrantes, plurima eius encomia unico verbo concluderunt, Matrem Dei illam appellantes: *De qua natus est Iesus;* ita iidem perpaucade Iosephi vita, et moribus commemorantes, permulla in eius laudem edicere, sponsum Virginiis illam vocitantes: *Ioseph autem vir eius;* et alibi: *Iacob autem genuit Ioseph virum Mariae.* Hunc evangelicum morem imitatus d. Gregorius Nazianzenus (orat. 11. de laud. Gorg.) cum probare niteretur, qualis vir fuisset Gorgoniae coniux, dixit: *Vultis uno verbo, virum describam? vir erat Gorgoniae: nec enim serio, quid amplius dicere necesse sit; ad eundem certe modum videtur se nobiscum gessisse sacri evangelistae, dum volentes miram Iosephi sanctitatem nobis indicare, ac innumeras eius laudes brevi sermone eloquio comprehendere, dixerunt: Ioseph autem vir eius; quasi dicerent: vultis uno verbo Iosephum describamus? vir erat Deiparae Mariae, in quo sane pene infinita praecognitione delitescunt. Fuit enim vir, qui timuit Dominum, et in mandatis eius voluit nimis (Psal. 111); vir qui non abiit in consilio impiorum, et in via peccatorum non stetit, et in cathedra pestilentiae non sedit (Psal. 1); vir, qui evacuaverat omnia, quae parvulorum sunt (1. Cor. 1); vir, qui viriliter egit, et confortavit cor suum, et Dominum sustinuit (Psal. 26); vir simplex, et rectus, ac timens Deum, et recedens a malo (Job 1); vir pretiosior auro; vir ex omni plebe electus, sapiens, et timens Deum, veritatem amans, odians numera, et avaritiam; qualem non dicam de mille, sed ex universo mundi caetu unum reperit Deus, quem Genitricis suae in clarissimo sponsum, et in fidelissimum consortem daret.*

In eo etiam Mariam, et Iosephum apud sacros evangelistas persimiles esse reperio, quod quoties Mariae meminere, Iosephum obliivioni minime tradidere, et e contra, cum Iosephum nominant, Mariam silentio non praeterunt. D. Gregorius (lib. moral.) narrat (idque testor ab his, qui plerumque id experti sunt, me accepisse) narrat, inquam, duabus cytha-

ris, eodem prorsus modo aptatis, ac temperatis, si cytharacaus fides minus pulset, continuo alteram, nemine illam tangente, resonare; tanta est vis similitudinis, et sympathiae eorum: non dissimiliter Mariam, et Iosephum velut duas animatas cytharas contemplor, perfectae admodum temperatae, sibi quae invicem adeo bene concententes, ut in sacro evangelio sonante voce Mariae, continuo resonet vox Iosephi, et e contra: *Ioseph, noli timere accipere Mariam; et Iacob autem genuit Ioseph virum Mariae;* iterum. *Cum esset desponsata mater eius Maria Ioseph:* ecce evangelista vix Mariam sine Iosepho, aut Iosephum sine Maria nominat: haec enim velut amoris correlativa, insinuat continarum tabernaculi, se invicem trahentem. Insuper olim Dens (Exod. 26) fieri tabernaculum ex perpolitibus quibusdam cortinis taliter inter se coherentibus contextum, atque compactum, ut qui ad se traheret unam cortinam, necessario etiam alteram sibi colligat, utraque nec secus divinae maiestati placuit, plenitudine temporum adventiente, Filio suo carne induto, protectionis mirabile quoddam tabernaculum ex cortinis Mariae, et Iosephi taliter inter se amoris, et matrimonii vinculo invicem connexis, construere, ut, quo pergit unus coniugum, pergat et alter; et cum traheret unus, traheretur et alter, et cum hilarescit unus, exhilararetur et alter, immo, cum nominatur unus, continuo nominetur, et resonet alter.

Sed iam aliam expendamus egregiam similitudinem inter Mariam, et Iosephum: quemadmodum b. Virgo meruit esse mater Dei, ut passim testantur Patres, et sancta tradit Ecclesia in vestris illius orationis: *Ut dignum Filio tuo habitaculum effici mereretur:* ad eundem modum habuit Ioseph meruit sponsum esse Genitricis Dei, quod, ne meo Marte confingere videar, Salomonis testimonio comprobabo (Ecc. 26): *Pars bona mulier bona in parte timentium Deum, dabitur viro pro factis bonis:* ecce Salomonem aperte dicentem, in praemium bonorum operum dari viro mulierem bonam; ex quo non inepte inferam, perfectissima omnium fuisse merita Iosephi, quibus in partem praemii, optimam, ac perfectissimam omnium mulierem Mariam sibi in coniugem dari promeruit. Ut tamen maior esset inter hos sacros coniuges similitudo, ac mira sympathia, iidem sane virutum meritis, humilitatis scilicet, et virginitatis, quibus beatissima Virgo matris Dei dignitatem sibi comparavit, ut verba ab ea in annunciatione prolata satis indicant: *Ecce ancilla Domini:* vide humilitatem: *Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco?* ecce virginitatem; iidem sane beatus Ioseph Deiparae Mariae excellentissimam sponsi dignitatem obtinuit. In quo plane videtur mihi, tanquam legitimum filium Davidis, patrem suum fuisse imitatum; nam, ut refert sacra historia, sub duplici conditione David filiam regis Saulis in uxorem accepit, prima, ut caput gentis Goliath praecideret; secunda, ut centum Philisthaeos circumcideret: aliis duobus procul dubio similibus operibus meruit Ioseph Mariam matrem Dei sibi in coniugem dari;

primum, humilitatis, quam exhibuit, cum, eo sponsalium indignum se reputans, velut alter David dixit: *Quis ego sum, aut quae est vita mea, ut cognatio patris mei in Israel, ut iam gener regis?* ut filiam (inquam) tantae Virginitatis sponsus? quae humilitate superbiham, caput omnium vitorum, viriliter praecidit. Secundum fuit castitatis, dum virginitatem, qua omnes carnis illecebras, ac venereos motus spirituali circumcissione funditus resecavit, adeo coluit, ut primus omnium virorum illam Deo voveret. In cuius figuram (lib. 1. Paralip. c. 25) lego, quod quando sacerdotes locaverunt arcam Dei in templo, missae fuerunt sortes inter cantores, cuiam innumberet, tamquam primo cantori, curam habere hymnorum, et cantionum, quibus colenda erat arca; cecidit autem sors super quemdam virum nomine Iosephum: certe in coelestis curia ingens est numerus chorum, qui coram sacra illa aera humanitatis Christum, in qua manna divinitatis detescit, inaccessanter concinant canticum illum novum Apocalypsis (c. 5) quod solum virgines canere norunt: haec aulem felicissima sors super Iosephum cecidit, ut ipse quasi virginitatis vexillifer, primas ferret inter omnes, et virginum virorum ipse esset coriphaeus; sicut et foeminarum Sponsa eius primiceria erat, et vexillifera. Hinc crediderim, quod sicut velus virginitatis Mariam in annunciatione turbavit, ut ait s. Lucas (c. 1): *Turbata est in sermone eius:* quia se concepturam, et parituram audivit, ita idem virginitatis ardentissimus zelus, quam Ioseph in se, et in sponsa sua mirum in modum vigere avidissime desiderabat, adeo turbavit eum, ut de dimittenda uxore secum ipse alterecaret. His omnibus adiciam, Mariam, et Iosephum inter se persimiles fuisse in eo, quod in Christi infantis educatione, ac in eius custodia, et protectione vigilantissimum curam plusquam paterno affectu adhibuerunt: quod non obscure significasse arbitror Spiritum sanctum, cum b. Virginem frequenter (in 1. cant. 1. 2) *Columbam* nuncupat: *Veni columba mea. Oculi tui columbarum:* quamvis enim pernuclae aliae columba nobiliores, ac generosiores reperiantur aves, nomine tamen columbae b. Virginem frequenter honestat, alludens, tum ad eximiam columbae foecunditatem, quae adeo in b. Virgine vigit, ut Deum ipsum humana carne indutum, tamquam nobis proferret, ac ventris sui fructum uterum produxerit; tum, ut pariter significaret, quod licet aquilae, accipitres, milvi, pavones, et reliquae aves filiorum curam inter se hae ratione dividunt, ut foeminae maneant in nidis ad eos fovendos, masculi vero cibum foris quaerant, et deferant; inter columbas vero, praeter hoc officium id speciale habet masculus, ut ipse etiam persaepe in nidulo instar matris pullos fovens, et caelestia: non dissimiliter b. Ioseph, tamquam maritus Marianae columbae, et columbinae Mariae magnam sollicitudinem ac sedulam curam in Christi infantis educatione adhibuit; algentem caelestiaebat, lacrymantem lactificabat; inter brachia, dormitantem, ne quispiam a somno excitaret, diligenter curabat, et alia id genus opera in consor-

tio Virginis in Christi infantis obsequium fabricabat.

Ad haec silentio non praeteribo aliam egregiam inter hos sacros sponso similitudinem non longe ab ea diversam, cuius in Canticis meminit sponsa, cum dixit (Cant. 2): *Dilectus meus mihi, et ego illi*: adeo enim ambo se dilexerunt, ut ad invicem ornamentum, et corona alter alterius facti fuerant. Mariam quidem aureum diadema, gloriosamque Iosephi coronam extitisse satis utique probant verba Proverbiorum (c. 12): *Mulier diligens, corona est viro suo*: e contra vero Iosephum, splendendam coronam, pretiosumque ornamentum Virgini fuisse, non obscure indicant verba illa, quae prudenter protulit xor sapientis Philonis, quae dum in coetu plurimum foeminarum adesset, ab eis interrogata, cur non instar reliquorum, aureis monilibus, ac pretiosis vestibus accessisset ornata, respondit sapienter: *Satis uxori magnus ornatus viri sui virtus*: ex quo sane non parum elegit Iosephi sanctitas commendatur, quae tanta fuit, ut ornamentum poterit esse illius, quae sole vestitur ut amicti, corona stellarum redimitur, et luna, tamquam calcamento utitur, prout se illam vidisse Ioannes testatur (c. 12): *Mulier amicta sole, et luna sub pedibus eius; et in capite eius corona stellarum duodecim*.

Ex his itaque sic iam praelibatis haud difficile erit conicere, quam miram hi sacri coniuges Maria, et Ioseph cum debita proportione aequalitatem habuerint, sibi quae bene consentientes extiterint. Ut tamen illud magis adhuc illustretur, placet in medium producere, quae Bio Pianeris, inter celebres Graeciae philosophos annumeratus, paucis perstrinxit, ut doceret ea, quae utrumque coniugem decent.

Quaenam summa homini mens, quae sibi conscia recti. Quis dives? qui nihil cupit: quis pauper? avarus. Quae dos matronae pulcherrima? vita pudica. Quae casta est? de qua mentiri fama veretur. Quod prudentis opus? cum possit, nolle nocere. Quod stulti proprium? non posse, et velle nocere.

Haec, quam mirifice fulgeant in his sacris sponsi Maria, et Iosepho, non erit difficile brevi sermone demonstrare: si enim huius vitae summa felicitas censetur animae pax, atque tranquillitas, scilicet, mens, quae sibi conscia recti: ecce Virginem tanta animi pace fruente, ut a proprio marito, a quo non conceperat, gravida inveniri non pertimesceret, nec in eius conspectu, quopiam turbationis motu fluctaret, quia, ut dixit Ecclesiasticus (Eccles. 22.): *Lorumamentum liguem colligatum in fundamento aedifici non dissolvitur; sic, et cor confirmatum in cogitatione consistit*: si deinde dives est, qui nihil cupit; ecce Ioseph, tametsi ex regia propapia ortus, qui post aurum non abili, nec speravit in pecunia thesaurus: quod si item pudicitia, ac verecundia, praecipua uxoris dos est: Quae dos matronae pulcherrima? vita pudica; prout dubio cum dote Mariae, nulla quantumcumque copiosissima dos valet comparari, cum ab angelo sub viri specie bene-

vole salutata, prae mirabili sua virginea pudicitia, et verecundia, confino erubesceret, et turbaretur; si praeterea illa castitate insignis indicatur, de qua mentiri fama veretur; quae castissimam omnium Mariam non faleatur, quae et virginitatem adeo coluit, ut nec dignitatem Matris Dei sibi a Deo oblatam admitteret, quousque illam ob id minime fore violandam, angelico didicisset eloquio. Unde Ioseph, id attestante Chrysostomo (super Matth.), tam magnam de Mariana castitate opinionem conceperat, ut gravidam illam animadvertens et non ab ipso, nihil certe mali de ea suspicans, potius sibi persuaderet, Virginem posse parere, quam Mariam peccare. Tandem si prudentiae viri non leve argumentum est, cum possit, nolle nocere; nostri Iosephi inaudita prudentia mirum in modum se osentavit, quippe cum posset uxorem ob intumescensent uterum molestare, prudenter tamen, ac sancte ab accusatione se abstinuit, evangelista dicente (c. 10): *Cum esset iustus, noluit eam traducere*. Illud etiam prudentiam d. Iosephi mirum in modum commendat, quod memor illius sententiae Tobiae (c. 12.): *Sacramentum regis abscondere bonum est: nec non alterius ex Isaiā dicente (c. 24.): Secretum meum mihi: secretum meum mihi: mirabile illud incarnationis Verbi Dei arcanum, quod sibi creditum erat, mira prudentia celavit. Revelatum quidem fuit hoc sacramentum mysterium Apostolis, ut illud evulgarent, iuxta illud (Matth. 10): *Quod dico vobis in tenebris, dicite in lumine, et quod in auro auditis, praedicate super tecta*; Ioseph autem manifestatum fuit, non ut ipse illud manifestaret, sed ut sub silentio tegmine illud absconderet, quod maiorem praesertim difficultatem, Ecclesiastico dicente (Ecc. 19.): *A facie verbi parturit fatuus, tamquam genitor partus infantis*: quasi diceret, similem parturientis angustiae esse dolorem fatui, qui habens creditum sibi secretum, nemini illud revelat; ad Ioseph nossem, tamquam singulari prudentia conspicimus, hanc fatui difficultatem strenue adee superavit, ut per quamplures annos nec minimum ab ore eius decideret verbum, quo tantum sacramentum cuiuspiam aperiret, adeo secreti tenacissimus custos fuit. Memini quidem, Romanos tanti momenti secreti custodiam indicasse, ut in vexillis suis depingerent Minotaurum, ad significandum secreta non esse delegenda, ut interpretatur Alciatus (in quodam emb.), cuius titulus est, non vulganda consilia: erat enim Minotaurus custos rigidissimus labyrinthi. Dedali, nemini aditum praebens ad illum illustrandum: Melolus item macedonicus interrogatus, cur ita celer et velox esset in consiliis suis exequendis, respondit, ut nec sinistra noscat proprium consilium dextrae: et Quintus Curtius (lib. 4. de gestis Alex.) tradit, Persas, fidelissimos se gloriarii secretorum custodes esse: unde refert, quod observans Alexander, se quandam epistolam legente, eandem a quodam eius amico retro existente lectitari, sigillari annulo ex digito suo extracto os eius obsignavit, ut se fidelem secreti custodem exhibere debere illum moneret. Aegypti etiam adeo secretum colebant, ut auctor est Diodorus, ut illius revelatoribus linguas*

praeciderent. Tandem, ut ad id unde sum nonnihil digressus, regrediar, ac finem dicendi faciam; si ut ait Ecclesiasticus (Prov. 26.): *Mulier bonae beatus vir*; non solum terque, quaterque, et milites beatus, sed et beatissimus consenseri debet nosser Ioseph, cum non solum mulierem bonam, sed omnium optimam nactus fuerit. Quod si, ut Salomon testatur (Prov. 19.): *A Domino uxor prudens*; eximium profecto donum Ioseph datum fuit, cum Mariam prudentissimam omnium virginum in uxorem accepit, et quam in domum suam ducens merito usurpare sibi posset illud Sapientis (c. 8.): *Intrans in domum meam, conquiescam cum illa, non enim habet amaritudinem conversatio illius, nec taedium convicius illius, sed laetitiam et gaudium, quod in aeternum nobis praestare dignetur, qui cum Patre et Spiritu Sancto vivit, et regnat in saecula saeculorum. Amen.*

HOMILIA VIII.

Inceptum argumentum prosequimur, quam magna sit dignitas sponsi Deiparae Mariae explicantes, ubi de excimia eius sanctitate disserimus; verosimile satis esse comprobantes, d. Iosephum reliquos omnes sanctos, Deipara exceptam, in gratia, et gloria longo intervallo excellere.

Si in Ecclesia catholica plerique sanctorum eo speciali nomine coli, et honorari merentur, quod se peculiariter ratione sanctissimae Deiparae Mariae devoverunt, sanctus Lucas, qui religionis, ac pietatis zelo ductus, varias imagines depinxit adamussim illam referentes, pariterque Mariana arca copiosius, quam reliqui evangelistae descripsit: sanctus Dionysius, qui ab Athenis, ut coelestem eius vultum intueretur, multo labore longissimum iter confecit: sanctus Cyrillus, qui contra impios haereticos in Matris Dei nomen debacchantes, honorificentissimum hanc Dei Genitricis nomenclaturam in concilio ephesino acerrime defendit: sanctus Ioannes Damascenus, qui pro singulari amore, quo Virginem prosequabatur, varia, eaque egregia eius praeconia nobis scripta reliquit; in quorum beata Virgo praemium abscissam inique manum benevole ei restituit: sanctus Idelphonsus, qui ab helvidianae haeresis Marianam virginitatem abnegantis impudentissimus calumniis sapientissime vindicavit: sanctus Anselmus, et d. Bernardus, qui in eius laudibus decantandis assiduis praecones fuerunt; ac tandem sanctus Ioannes evangelista prius omnibus illis divino Christi oraculo adoptivus Virgini filius institutus, qui eo id attestante, accepit eam in sua: si, inquam, hi omnes sancti, eo quod speciali ratione se, suasque incubrationes Virgini consecrarunt, digni sunt, ut speciali etiam cultu fideles eos venerentur; quantus quaequo honor beatissimo Iosepho deferri debet, qui matrimonii pariter, et amoris vinculo Virgini coniunctissimus fuit? Sane quaecumque excogitavero encomia, minorae erunt,

CARTHAGENA de B. M. V. — Vol. I.

quam Deiparae sponsi celsissima dignitas meretur; additur tamen, Deo auspice, ex hac tanta dignitate, velut ex principio, excellentiam sanctitatis divi Iosephi super reliquos sanctos, tamquam piam, ac valde probabilem conclusionem deducere, imitans in hoc d. Paulum, qui, sicut ex dignitate, et nomine Filii Dei, excellentiam eius super omnes angelos intulit. Tanto, inquit (Hebr. 1), melior angelis effectus, quanto differentius prae illis nomen haereditavit: ad eundem modum licebit mihi philosophari, tanto Iosephum aliis sanctiorem, quanto differentius prae aliis nomen, ac honorificentissimum Sponsi Dei Genitricis, et patris Christi titulum obtinuit. Divina namque providentia non consuevit inanes titulos, et rebus vacua nomina donare, sed quibus insignes titulos confert, insignem etiam idoneitatem impertitur. Unde, si imperator Valentinianus (l. 2. c. de Crimine sacri.) dixit, disputare de principali iudice non oportet: sacrilegii enim instar est dubitare, an is dignus sit, quem elegit imperator; quanto magis execrandum sacrilegium esset suspicari, Deum optimum Maximum, qui sponsi Genitricis suae dignitatem Iosepho donavit, idoneitatem ad eandem non contulisse? Hinc doctor Thomas (3. par. qu. 27. art. 4.) inquit: *Quis Deus ad aliquid eligi, ita praeparat, et disponit, ut ad illud, ad quod eliguntur, inveniantur idonei*: et d. Augustinus plenitudinem gratiae super omnes sanctos donatam Virgini ex eo colligit, quod ad dignitatem Matris Dei evecta fuerit; sic enim ait *Inde nominis, tantam gratiam illi esse collatam, quia Deum meruit concipere, ac parere*. Quod si ad sacra monumenta mentis animae parumper convertamur, id a Deo ita facilitatum fuisse, ut pro dignitate numeris sufficientiam praestaret, facile comperimus. Elegit Moysen, hominem agrestem, in ducem populi sui, et contulit ei sapientiam, ac potentiam tantam, ut diceret ei (Exod. 7): *Ego te constitui Deum Pharaonis*. Davidem accepit de post foetantes: et ex tugurio pastorum illum educens, unxit in regem, et caput plebis suae fecit, deditque illi nomen grande iuxta nomen magnorum, qui sunt in terra, (2. Reg. 7). Ioannem Baptistam, quem in Christi Praecursorem elegit, tanto retro tempore, autquam id minus exerceat, enim disposuit, ut ac praeparavit, ut in materno utero latentem sanctificaret. Piscatores etiam vocans, ut apostolica dignitate eos donaret, omnem sufficientiam ad apostolatus munus recte obeundum illis impertivit, apostolo dicente (2. Cor. 3): *Idoneos nos fecit ministros novi testamenti*. Ac tandem sanctissimum Deiparam Mariam pro dignitate tantum numeris recte coelestium charismatum copia locupletavit, ut ipsa testatur (Luc. 1): *Fecit mihi magna qui potens est, et sanctum nomen eius*. Cum ergo beatus Ioseph electus fuerit a Deo ad insignem illam sponsi Dei Genitricis, et Christi patris dignitatem; nemo sane mentis inficialitur, omnem sufficientiam, et idoneitatem ad illa munus exercenda necessarium divinitus ei fuisse collatum; unde, sicut Deus optimum omnium foeminarum elegit in Matrem, ita optimum omnium virorum decebat eligere in eius Sponsum: qua-